

illa, infanarum mulierum novitij dogmatis somnia, veras prophetias adleverat; disertior multo quam felicior est inventus. Et fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio.

Quisquis ergo es verus & germanus catholicus, in fide fixus & stabilis permanens, quod univ ersaliter antiquitus ecclesiam catholicam tenuisse cognoveris; id solum tibi tenendum credendumque decerne, quod sacra tibi in Christo consentiens sanctorum Patrum tenuit Antiquitas; quod sanctorum patrum sanctus Catholicusque consensus, quod multorum atque magnorum consentientes sibi sententia magistrorum, hoc adjuvante Domino, fideliter, sobrie, sollicitè observa. *Non te praterat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis.* Eccles. 8.

Ob.

Resp.

Sed dicit aliquis, nullusne ergo habebitur in ecclesia Christi profectus religionis? habeatur planè, & maximus: ita tamen ut (quemadmodum monet idem Vincentius) *verè profectus ille sit fidei, non permutatio.* Siquidem ad profectum pertinet, ut unaqueque res amplificetur; ad permutacionem verò ut aliquid eis alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat, tam singulorum quamquam omnium; tam unius hominis quam totius Ecclesie, æraturum ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque scientia. Tu ergo ò Sacerdos, ò tractator, ò Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis tabernaculi Bezeleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adice splendorem, gratiam, venustatem. Intellegatur, te exponente, illustrius quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetulus non intellectum venerabat: eadem tamen quæ didicisti ita docè, *ut cum dicas nove, non dicas nova.* Christi enim Ecclesia, sæcula & cautà depositorum apud te dogmatum custos, sicut ex eis nihil unquam minuit, ita nec addit, non amputat necessaria, non opponit superflua: non amittit sua, non usurpat aliena: sed omni industria hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando; si qua sunt illa antiquitus informata & inchoata: accuret & poliat, si qua jam expressa & enucleata, consolidet, firmet: si qua jam confirmata & definita, custodiat. Si autem mater Ecclesia, pro religiosæ vetustatis tenacitate, tam sedulosè est enisa, ut omnia quæ fidei à patribus suscepta forent, eadem fide filijs consignarentur; sciens christianæ modestiæ & gravitatis proprium esse, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare: quid nos, tum Ecclesie tum majorum illorum filios, decere existimabimus, nisi lupercetare semel traditæ nobis fidei: non recedere ab eo quod semel accepimus, sancto mandato: sapientiam antiquorum (quod Sapientis est) exquirere, nova vitare: sacra: vetustatis dogmata suscipere, prophetanz novitatis adinventam damnare.

Sectemur ergo sanctorum Patrum sententias, servemus præcepta majorum, teneamus dogmata veterum, sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum consistetur ecclesia: Antiquitatem verò, si ab his nullatenus

A sensibus recedamus quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque, si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium, sacerdotum pariter & magistrorum definitiones sententiasque sectemur. Quæ tamen antiqua sanctorum Patrum consensio, non in omnibus divine legis quasiunculis, sed solum, certè præcipuè, in fidei regula, magno nobis studio & investiganda est, & sequenda. Sed neque omnium majorum sententia conferenda sunt, sed eorum dumtaxat qui in fide communione catholica sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes, permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt; eorum, qui diversis licet temporibus, in unius tamen Ecclesie Catholice communionem permanentes, magistri probabiles extiterunt. Et quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes vel plures uno eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendi, tenendo, tradendo firmaverint: id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quidquid verò, quamvis ille sanctus, & ductus quamvis Episcopus, confessor & martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes, senserit: id inter proprias, & privatas, & occultas opiniunculas, à communis, publicæ ac generalis sententia autoritate secretum sit. Nam & illi qui catholice ex hac vita migrarunt, & aliquid litterarum Christianarum posteris reliquerunt, minus valentes acie mentis additiora penetrare, potuerunt in quibusdam locis opusculorum suorum (ut humana est infirmitas) veritatem non attingere; præsertim cum nullo adhuc Universali concilio sufficienter esset declarata: *Soluti ait Aug. Epist. 19. eis scripturarum libris qui jam canonici appellantur, didici hunc simonem honoremque deferre, ut nullum eorum auctoritatem scribendo aliquid errasse firmissimè credam.* Et Epist. 111. *Neque enim quorumlibet disputationem, quamvis catholicorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat saltem honorificentia que illis debetur eorum auctoritatem in eorum scriptis improbare atque respicere, si forte invenerimus quod aliter senserint quam veritas habet, divino adjutorio, vel ab alijs intellecti a nobis.* Quam S. Doctoris resolutionem, neque de omnibus patribus simul, vel de maxima eorum parte; neque de ijs quæ ad fidei & credendarum rerum normam pertinent, intelligendam; prudenter admonuit Hieronymus Torenensis cap. 11. lib. 1. Confessionis Augustinianæ. Non enim obscure significavit idem Aug. non secus patrum fidem adversus hæreticos defendendam esse, quam contra impios & Christi professos inimicos ipsam defenditur evangelium; lib. 2. contra Julianum cap. ult. Sed neque licet unius aut paucorum patrum sententiam improbare, nisi cautione illa duplici adhibita, quam Augustinus exemplo suo disertè præscripsit. Altera est, ut veritas contraria comperta sit; Altera, ut ab ipsis patribus non nisi salva honorificentia dissentiamus. Si ergo vel veritas comperta non sit, vel quod eam patres deseruerint non sit compertum; explicatio magis adhibenda, quam ut errasse probentur laborandum. *Doctores enim, qui & patres vocantur, magis portandi quam reprehendendi sunt,* ait Calixtus in Epist. ad Benedictum Episcopum: *quia non rectè vivit, qui patres reprehendit vel deirabit suos.*